



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

90. An in fractione ieiunii detur parvitas materiae? Sed difficultas est, quænam parvitas materiae excuset à fractione ieiunii? Et an potio Hispania dicta Chocolate, frangat ieiunium? Et cursim ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76369)

nec formaliter, vel virtualiter maneat. Sed cum hoc preceptum individuum habeat materiam, semel transgressa non vterius remanet materia, quae praecipitur: & ideo Montisani, & aliorum opinio non est tenenda. Vide supra, in Resol. 37. & 44.

RESOL. LXXXIX.

An qui in die ieiunij sepius modicum quid comedit, ita ut si illa parua comestiones coalescant in vnum, & efficiant quantitatem notabilem, frangat ieiunium, & peccet mortaliter? Ex p. 3. tra. 6. & Miscell. 1. Resol. 43.

Affirmatiuam sententiam docent communiter DD. quia cum sit eadem dies, illae paruae comestiones continentur, & coalescunt in vnum, efficiendo quantitatem notabilem. At Ioan. Salas in p. 2. D. Thom. tra. 13. disp. 16. sect. 26. in fine, limitat, ut procedat tantum, quando ille absolute vellet vno, & eodem actu, omnes illas modicas comestiones, secus autem si conditionaliter quis vellet ita eas comestiones, ut nunquam peccaret mortaliter, sed venialiter tantum, hoc est, ut omnes illae comestiones essent veniales.

Verum haec opinio aliquibus displicet, quia non est in potestate comedentis, facere ut ex omnibus illis modicis comestionibus, eadem die habitis, non coalescat materia notabilis, unde resultet peccatum mortale: & ex limitatione Salas sequitur, quod quis posset eludere preceptum, seu votum ieiunij cientes in die modicum quid comedendo, & intendendo omnes illas modicas comestiones tantum centum peccata venialia committere. Sed hoc dicere est absurdum. Ergo, &c.

RESOL. XC.

An in fractione ieiunij detur paruitas materiae? Sed difficultas est, quanam paruitas materiae excuset a fractione ieiunij? Et an potius in Hispania dicta Chocolate, frangat ieiunium? Et quomodo aduertitur quantitatem collationis serotinae esse vncias octo. Ex p. 5. tr. 5. Resol. 11.

Respondeo affirmatiue cum Sanchez in summ. tom. 1. lib. 1. cap. 4. num. 12. Alphonso de Leone de Offic. Confess. p. 3. collect. 7. num. 23. & aliis communiter. Sed difficultas in casu nostro est, quoniam paruitas materiae excuset a fractione ieiunij, nam relinquere hoc ad arbitrium boni viri non est tollere scripturam, sed magis augere? Et ego apud nullum Doctorem inueni hunc casum in terminis pertractatum, solum nouissimè illum pertractat, & talem materiam determinat Aloysius Turrianus Societ. I. E. S. V. in summ. Theolog. mor. part. 1. cap. 256. dub. 27. num. 2. vbi sic asserit. Quantitas duarum vnciarum communis cibi non sufficit ad peccatum mortale. Ita ille, qui nullam tamen adducit rationem pro hac sententia, sed nos in hoc se aduertemus. Igitur secundum Turrianum quis maneat in domo exeat, potest sine mortali fractione ieiunij sumere quantitatem cibi duarum vnciarum, & postea hora consueta comedere, & seipsum pernitentiam collationem sumere, quam ipse putat in dub. 38. n. 1. posse sumi in quantitate vnciarum octo, & docet etiam Ioannes Henriquez in compend. cas. mor. cap. 18. n. 2. & 3.

Notandum est hic obiter contra Turrianum in summa, part. 1. cap. 256. dub. 24. concl. 4. & 7. portionem

in Hispania dictam Chocolate, frangere ieiunium, nisi excusetur ex paruitate materiae, ut ego docui in part. 4. tra. 4. resol. 194. & nouissimè docet Anton. de Leon. in sua erudita q. moral. del Chocolate. vbi part. 3. num. 20. determinat etiam paruitatem materiae? Sic enim ait, [Se pueden considerar los ingredientes de por si para hazer el compuesto, y tambien el compuesto hecho, Si este se considera se podra beuer la quarta parte de vna xicara comun, y ordinaria, y a lo mas la tercera parte. Si se consideran los simples, que es modo menos engañoso, se podra echar media onca de pasta alutar necesario, con la cantidad de agua que cada vno quisiere, y esta tengo para mi que sea materia parua.] Ita ille. Ex quo etiam desumitur ratio ad firmandam opinionem Turriani vbi supra. Nam Reginald. tom. 1. lib. 4. cap. 14. num. 185. Layman lib. 4. tra. 4. cap. 1. num. 9. Filliucius tom. 2. tra. 27. part. 2. cap. 3. num. 13 & alij asserunt * quantitatem collationis serotinae in ieiunio reducendam esse ad quartam partem quantitatis coenae ordinariae: ergo quantitas paruitatis materiae non frangens ieiunium reducenda est ad quartam partem quantitatis collationis serotinae, unde Antonius de Leon vbi supra, num. 21. sic ait, [Porque ay quien reduce la colacion a la quarta parte de la cena comun, no es mal fundamento, para dezir que la quarta parte de la colacion sea materia parua.] Ita ille. Sed probabiliter asserunt Doctores, ut visum est, quantitatem collationis serotinae esse vncias octo; ergo quantitas paruitatis materiae non frangens ieiunium erit vnciarum duarum, ut vult Turrianus.

RESOL. XCI.

An in Hispania potio dicta Chocolate frangat ieiunium? Et quid de cereuisia, & vino ex aromaticis condito, &c.? Ex p. 4. tr. 4. & Misc. Resol. 194.

Affirmatiua sententia probatur per ea, quae adducit Villalobos in summ. tom. 1. tra. 13. diff. 8. num. 15. vbi sic ait: [Ha se de aduertir que ay beuidas, que son juntamente comidas para sustentarse, y esta lleuan mezcladas cosas, que sustentan, las quales no se pueden comer en dias de ayuno, si no es a la hora de comer.] Idem docet Ludou. de San Iuan in sum. q. de ieiun. art. 12. diff. 1. dub. 2. sic enim asserit: [Ay algunos condimentos, que se toman por modo de beuida, y tal beuida no es licita.]

Dicendum est igitur cum Sanchez in opusc. tom. 2. lib. 5. cap. 1. dub. 23. num. 1. Azorio part. 1. lib. 7. cap. 10. quae 7. Layman vbi infra, & aliis penes ipsos, quaedam esse liquida, quae licet traiciantur per modum potus, habent tamen propriam, & per se rationem cibi, quare soluent ieiunium, & Sanchez ponit exemplum de aqua saccharo mixta, quod etiam confirmat Fagundez de precept. Eccl. p. 4. lib. 1. cap. 2. n. 46. Sed haec omnia accidunt in potu dicto chocolate, in quo ingreditur saccharum cum aqua mixtum, & aliae res maioris substantiae: ergo dicendum est frangere ieiunium, cum sit potius cibus substantialissimus, quam merus potus, & aqua, quae in dicta portione ponitur, ex necessitate ponitur ad dissoluendum ingredientes.

Et ideo omnia supradicta docet etiam Franciscus Syluius in 2. 2. D. Thoma q. 547. art. 6. & quia codex rarus est, ponam per extensum eius verba, itaque sic asserit: Solueret ieiunium si quis sumat magna quantitatis potum multum nutritium, veluti cereuisiam crassam, multamque substantiosam, aut vinum siue saccharo, siue aliis aromaticis varie conditum, aut qui alioquin valde copiose alit. Quapropter quod Diuus Thomas in respons. ad 2. ait: Non intendit Ecclesia inter

Sup. hoc in Resol. 116. §. 2. prope fin. & in Resol. 119. §. 1. a lin. 7.

Sup. hoc in Resol. 116. §. 2. prope fin. & in Resol. 119. §. 1. a lin. 7.

Sup. hoc in Resol. 116. §. 2. prope fin. & in Resol. 119. §. 1. a lin. 7.

Sup. hoc in Resol. 116. §. 1. a lin. 7. prope fin. Quod si.

N. A. E. n. i. a. l. i. v. v. i. t. i.